

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38
39
40
41
42
43
44
45
46
47
48
49
50



14752

10.
13

1660

DE
LEGE REGIA
ROMANORUM
POSITIONES,
BONO CUM DEO,

PRÆSIDE

DN. ERNESTO CREGEL, U. J. D.
Juris Publici in florentissimâ Universitate
Aldorffinâ P. P. Inclytæ Reip. Norib. Consiliariô,
DN. PRÆCEPTORE AC PROMOTORE
suô æternùm honorando,

Publicæ Eruditorum disquisitioni
subjicit

Autor & Respondens

JOHANNES GEORGIUS Schmid/
Norimberg.

In Auditoriô Welsarianô.

Ad diem 23. Augusti

Anno Salutis recuperatæ clc lxc LX.

ALTDORFFI,

Typis GEORGI HAGEN, Universitatis
Typographi.



1732

17

DE
LEGGE REGIA
ROMANORUM
POSTULORUM
BONO CUM DEO


DE
D. N. BRUNO CRESPI, U. J. D.
Publice Auditorum Jurisprudens
in Auditorio Universitatis
Alti. 1732. 10. Martii. No. 1732. 10. Martii.

Publice Auditorum Jurisprudens
etiam Auditorum
JOHANNES GEORGIIES
Nürnberg.
In Auditorio Universitatis

1732. 10. Martii. No. 1732. 10. Martii.

Typis Georgii Haackii, Universitatis
Typographi





DE

LEGE REGIA ROMANORUM POSITIO

I.



Uxiliò divini Numinis, Servato-
ris omnium, Gubernatoris o-
mnium, Principis & Regis Re-
gum ac Domini Dominorum,

1. Timoth. 6, 15. de Lege Regiâ dissertaturi, liberali prius
ut instruamur viaticò, operæ pretium erit Romam invise-
re, ibique in saxis & lapidibus antiquitatem, ejusque propa-
gationem videre.

II. Quod principiò rerum obtinebat, ut gentium na-
tionumque Imperium penes Reges esset, arbitria Principis
Legum locum tenerent, *Justinus lib. 1. in princip.* idem funda-
tioni Urbis Romæ usaveniebat. Usa quippe est Monarchiâ,
licet non omnibus modis absolutâ; scriptis carebat LL., &
arbitria Principum pro legibus erant: licet nonnullæ post-
ea à Romulò aliisque Regibus, præcipuè Serviò, sint latæ;
Curiatæ appellatæ, quòd Curiarû, in quas divisus erat à Ro-
mulo populus, sententiis & approbatione ferebantur, *l. 2. §. 1.*
& *2. ff. de O. I. Wesenb. in paratit. ff. d. t. n. 1.* Qualis status perdu-

A

ravic

ravit usque ad Tarquinium Superbum, qui, ob violatam à filio Sexto Lucretiæ pudicitiam, Regno fuit eiectus. *Li-
vius lib. 1.*

III. Regibus exactis, tam ordinarii quàm extraordi-
narii, tam urbani quàm provinciales, pro usu Civitatis, creati
sunt Magistratus: quorum curâ, rebus ita exigentibus, Resp.
& foris & domi rectè administrabatur, *d.l. 2. §. 10. & seqq. ff. de
O. l. Wesenb. ad d. t. n. 2. Jacobus Lampad. tract. de Rep. Roman.
Germ. part. 2. §. 3. & seqq.*

IV. Multa interim laude æternâ dignissima bella ge-
rebantur, nec pauci ad Imperium Romanum populi con-
fluebant, *Orbem jam totum victor Romanus habebat; quâ ma-
re quâ terra, quâ sidus currit utrumq;.* Quare majus erat
Regimen, quàm ut externis viribus extingui posset, *Florus
lib. 4. cap. 2. pr.* nisi ira in divisione Pompejum & Julium sæ-
vientibus gladiis ad intestina prælia incitasset, *uti loquitur A.
B. princ.* ex quò factum, ut Resp. everteretur.

V. Cæsare & Pompejò trucidatis, rediisse in statum
pristinæ libertatis Populus Romanus videbatur; & redierat,
nisi aut Pompejus liberos, aut Cæsar heredem reliquisset:
vel, quod utroq; perniciosius fuit, si non Collega quondam,
mox æmulus Cæsarianæ potētiae, fax & turbo sequētis seculi,
superfuisse Antonius. *sunt verba Flori l. 4. c. 3.* Hujus molitio-
nibus in eam perturbationem venit Respublica, ut liberta-
tis omninò obliviscendum, & ad servitutem confugiendum
fuisse, *Boeclerus dissert. ad d. l. Flori th. 4.* cum sub hâc liberta-
tis umbrâ nil nisi quotidianum periculum & exitium im-
mineret.

VI. In quò tamen casu, *inquit modo allegatus A.* gra-
tanter agnoscendum, quòd (*cæteris adversariis debellatis*)
in Augusti potiùs potestatem, quàm vel sub Pompeji, vel
sub

sub Antonii dominium Resp. redacta sit. Itaque ad Illu-
striss. illam Augusteam Pacem tandem perventum
est. Quâ factâ, nulla alia ratio tam confusæ Reip ordinandæ
erat, quàm unius Imperium, sive Monarchia, tanquam o-
mniû politicarum, si Aristocratia est temperata, præstantissi-
ma. Vix enim coire potuisset Romanû Imperium & consen-
tire, nisi unius Præsidis nutu, quasi animâ & mente, regeretur.

VII. Id quod facilè pro sagacitate suâ Octavius præ-
videbat. Hinc consultatione cum Mecœnate & Agrippâ de
Imperiô vel retinendo vel deponendo habitâ, sententiam
Agrippæ qui retinendum censebat, secutus est, quamvis
Oratione in Senatu prolixâ Imperium Ei & Populo se red-
diturum simulârit; ut, quod prædecessor ejus C. Jul. Cæsar
potiùs vi quàm voluntate S. P. Q. R. obtinuit, is volentibus iis
obtineret, *Dion lib. 53.*

VIII. Senatus verò & Populus simulato perito non
deferens, ab Augusto contendit, ne se (*cum privatus absq[ue]
periculô haud vivere possit*) Imperiumque Romanum dese-
reret; quapropter in retinendô Augustus perseveravit:
Sueton. in Aug. c. 28.

IX. Præterea S. P. Q. R. sibi Ejus acta rata fore & grata
juramentô confirmavit. Omnem quoq; suam potestatem ac
Imperium in Augustum transtulit vi Legis Regiæ, *l. 1.
ff. de Constit. Princip. §. 6. I. de I. N. G. & Civ.* Quæ cum hujus sit
censuræ, antequàm ipsam descriptionem aggrediamur,
homonymiam vocabuli removebimus.

X. Lex autem Regia dicitur vel à **Causâ Effi-**
ciente, quia condita est à Rege quodam, *qualis acceptio est
in l. 2. ff. de mortuô infer.* & ita Publius Papirius LL. Regias in

unum contulisse librum dicitur, l. 2. §. postea 2. & §. *Juris civil.* 35. in f. ff. d. t. de O. l. vel à materiâ & effectu, quia est de Regnò sive Imperiò lata, l. r. §. sed in hoc studium 7. vers. cum n. antiq. Cod. de vetere jure enucleando, & per illam potestas Regia summumque Imperium à Populo in Principem est translatum. Quæ significatio hujus est loci.

XI. Ubi disquirere placet: *An Lex ista Regia unquam fuerit promulgata?* Negant *Franciscus Connanus lib. 1. Commentar. Jur. Civil. c. 16. n. 2. in fin.* *Tobias Paurmeister lib. 1. de Jurisd. c. 19. n. 7. Vultejus ad §. 6. Inst. d. l. N. G. & C. n. 6.* qui eam veritatis imaginem nullam ostendere putant.

XII. Verùm *Juris Interpretes* haut decet in dubium vocare *Justiniani & Ulpiani* fidem atq; auctoritatem in l. r. ff. de *Constit. Princip. d. §. 6. l. de l. N. G. & C. Ex Dione quoq; lib. 53. Legis Regiæ* sanctio constat, qui istâ prerogativâ Principes gaudere asserit, ut sint soluti Legibus *ὡς αὐτὰ πρὸ λαϊνικὰ ῥήματα λέγει*, quæ verba omninò loqui de quâdam lege videntur.

XIII. Ut proinde potiùs dissentientium purum putum sit figmentum, dicere, nullum apud *Historicos* Legis nostræ Regiæ vestigium extare. Quin, si *Historicis*, nã multò magis *Imperatori* fides est adjungenda.

XIV. Hinc *Connanus d. loc.* contra fidem facere videtur, dum *JCti nostri* fidem apud se habere nequeunt. De bonis non nisi benè, nec de iis captiones adulationum ac illicitarum approbationum præsumendæ.

XV. Relinquitur igitur Legem istam Regiam reverà fuisse latam. Cujus synonymum est *Lex Antiqua*; §. sed & hoc 7. de *concept. ff. Augusti, l. 14. §. 1. de manumissionib.* utpote sub Augusto lata; *Lex Imperii, l. ex imperfecto 3. Cod. de testamentis.*

XVI.

XVI. Describi potest *ex Georgio Braudlaeh. in Epit. Jurispr. Public. lib. 1. cap. 1. §. 16.* quòd sit Imperii Populiq; Romani Constitutio, quâ in & ad Principem omne Imperium, potestas & Jurisdictio est translata.

XVII. Dicitur Constitutio: licet enim aliâs Principi competat ñ constituere, eò tamen temporis punctò, quò Lex Regia ferebatur, Majestas adhuc penes S.P.Q.R. erat.

XVIII. Vocatur Constitutio Imperii Populiq; i. e. Imperantium & Obedientium; Populi autem fit mentio non Senatus, quia Hic absq; Populi consensu nihil quod publicam rem concernebat, amplius dirigere poterat, qvare è plebe Magistratus quoq; creabatur, *l. 2. §. 20. & seqq. ff. de O. l.*

XIX. Est verò Imperii populiq; Romani constitutio: ut distinguatur ab aliis Imp. Constitutionib. aliarũ gentium, quæ, sicut *ex Justino lib. 1. pr.* spectatam inter bonos moderationem provehere debere homines ad fastigium Majestatis non ignorarunt: ita indies Gentes istas certis Constitutionibus eam corroborasse, valdè probabile est.

XX. Proprium hujus Constitutionis est, quòd per eam omne Imperium in & ad Principem sit translatum, & quidem abdicativè, §. 6. *Inst. d. t. de l. N. G. & C. l. 1. pr. ff. de constit. Princip.*

XXI. Ubi dubium controversumque est: *An verba In Eum, sint de populo, an vero de Ipsò Principe accipienda?* Prius affirmant magni nominis Dd. *Theoph. in paraphr hïc, Duaren. lib. 2. Diss. annivers. cap. 18. Wesenb. ad §. 6. Inst. d. t.* Quibus respondet alii, ejusmodi interpretationem esse nullam, cum

potestas Monarchica aliter concedi non potuerit, quam ut Princeps in omnes Imperium haberet. Ut sit, non absurdè quoque de Populo verba ista accipi nobis persuademus.

XXII. Interim *Bachovius in præf. tit. de Constit. Princip. n. 2. & ad §. 6. l. de I. N. G. & Civ.* rem acu tangit, dicendo, verba *Ei & In Eum* significare Principi & in Principem, ad demonstrandam enixam Populi voluntatem, quâ Imperium suum transtulit.

XXIII. Effectus Legis Regiæ est omnis Imperii, potestatis & Jurisdictionis translatio. Potestatis vocabulum denotat cum Imperium, *l. 3. ff. de Jurisd. dict. l. 215. de V. S.* cum Jurisdictionem; Quæ sibi invicem *in l. 4. d. t. de Jurisd.* opponuntur, quatenus speciei vocabulum est Jurisdictio.

XXIV. Nonnunquam autem generaliter accipitur, ita ut Imperium & Jurisdictionem in specie sic dictam complectatur, *Braudlacht. dict. tract. lib. 3. c. 6* quemad. vocabulum Adoptionis, quod generis & speciei vim sustinet *rubric. Inst. de Adoption. junct. §. 1. cod.*

XXV. Hoc loco, *ὡς ἐν παρῶν* monendum, Jurisdictionem ut genus, ex usu Romanorum ad criminales quoque pertinere causas, negantibus licet *Cujaciò in π. Cod. de Jurisd. o. j.* (qui tamē sibi ipsi non constat) & *Sutholt. in diss. de Jurisd. th. 103.* at ut speciem differre à mixto Imperio. Sed ulterius in Jurisdictionis pelago versari, nostri non est instituti.

XXVI. Revertimur ad Legem nostram Regiam. Potestate ita in Principem translata, evenit, ut, quodcunq; Principi placuit, legis habuerit vigorem, *d. §. 6. Inst. de jure N. G. & Civ. & d. l. 1. ff. de constit. Principum*, si modo legis condendæ animò id protulit, *arg. l. 7. C. de sentent. & interloc.*

interloc. o. j. Mynsing. ad §. 6. Inst. d. t. nec juri divino aut natura repugnet, arg. l. f. C. si contra jus vel utilit. publ. Hic enim locum habet illud dignum Principe responsum Antigoni Maced. Regis, quod, cuidam dicenti, omnia Regibus honesta justaq; esse, opposuit: sunt per Jovē, inquit, Barbarorum duntaxat Regibus; At nobis ea honesta sunt, quæ sunt honesta, & ea tantum justa, quæ sunt justa. Plutarch. in apophth.

XXVII. Ergo talia intelligi volumus placita, quæ curiosa peperit deliberatio. Qualia Alexandri Severi fuerunt, qui teste Lampridio in ejus vitâ, nullam constitutionem sanxit, nisi adhibitis in consilium viginti Jctis & aliis plurimis sapientibus disertissimis. Nam ex nudâ voluntate, juxta illud: *stat pro ratione voluntas*, præscribere velle Leges, non tam boni Principis esset, quàm pessimi Tyranni.

XXVIII. Placita verò Imperatorum generali nomine appellantur statuta, *l. statutus 3. C. de sentent. ex periculo recitand.* item Constitutiones, quæ dividuntur ratione formæ, in Rescripta, Decreta & Edicta: ratione objecti, in Personales & Generales, *Excell. & Nob. Ludw. in Exerc. Justinian. Exerc. 1. th. 13. lit. d.*

XXIX. Generales sunt, quæ ad omnes pertinent, *d. §. 6. in f. & diversa nomina à diversis constituendi formis (uti dictum) accipiunt.* Vel enim Princeps indefinitè citra personæ aut alterius circumstantiæ determinationem publicè jus aliquod constituit, & vocatur constitutio illa Edictum, *d. §. 6. & l. 1. ff. de Const. Princ. Consultiss. D. Kobius Diss. de princ. Juris V. th. 4. ab edicendo, i. e. prædicendo, Wesenb. in w. ff. de interdicitis, n. 7.* Hinc nihil aliud est Edictum, quàm constitutio, quâ Princeps suo motu aliquid statuit ad honestatem & utili-

& utilitatem subditorum, *D. Aegid. Agric. Disp. ex tit. 1. & 2. Lib. 1. Inst. juris Civ. lib. 17.* Promulgatur verò vel *μεγαλαυχία* publicò, vel voce præconis, quomodo multas LL. ab Imperatoribus latas atque edictales nuncupatas fuisse *Giph. in Comment. ad Inst. Imp. h. §.* monstat.

XXX. Per Rescriptum aliquid Imperator statuit, quando libello supplici, vel à Magistratibus vel Judicibus vel privatis aditus, rescripsit, aut consulenti de jure respondit. Rescriptorum alia dicuntur Añoraciones, alia Pragmaticæ sanctiones, *t. t. & l. 7. c. de diversis rescript. & pragmat. sanctionibus.* Quæ si tales sint, ut pœna capitis in iis comprehendatur, tunc si quis contrà LL. fecerit, capite plectitur, §. *sanctæ quoq.* *Instit. de rerum divis. ibiq.* *Giph. in.* In quibusdam verò certa pœna delinquentibus constituitur, *l. sanctio legum 41. ff. d. pœnis.*

XXXI. Annotationes sunt, quibus ad libellum privatæ personæ de privatò negociò conceptum subscribitur; Pragm. sanctiones, quibus de publicò negociò, habitò tractatu & consiliò diligentius fufiusque, ad preces, relationem vel suggestionem judicum aut aliorum respondetur, quæ etiam Sacra Oracula nominantur, *l. 5. C. de testam.* Rescripta verò & constitutiones generales quomodo ac quando vim legis obtineant, *vid. Excell. Dn. Præses Præceptor meus venerandus, Disp. de Inst. & jure, lib. 113. & 117. Add. Henric. Zoësius ad tit. ff. d. Constitut. Princip. n. 3. 4. & seqq.* Exempla à nonnullis Autoribus observata notat *Giph. d. l.*

XXXII. Constituit deniq; Princeps per Decretum, quod non cujuslibet Magistratus sententiam hoc loco significat, sed sententiam ab Imperatore ipso inter partes litigantes de causâ controversâ latam. Coeterum Sententiæ & Decreti discrimen indicat *Wesenb. ad d. §. 6. l. de I. N. G. & C.* Quando verò Principis Interlocutio vim legis obtineat, docet *loh. Wurmser. in Nucleo Juriscontrov. Inst. Imp. Disp. 1. §. 23.*

XXXIII.

XXXIII. Et istæ tres Generalium Constitutionum species sunt celeberrimæ, quibus addi posset quarta species, scilicet Mandata Principum, de quibus *Zoesius cit. loc. num. 11.* Illud subnectere hic placet, quia solus Princeps habet potestatem condendæ legis, ex eò rectè collegisse *Virum acutiss. Conrad. Rittersh. p. m. in progymn. juris Disp. 1. th. 8.* quicquid Justinianus ab aliis sumptum in libros suos retulerit, hoc tanquã ab Ipso profectum accipiendũ esse.

XXXIV. Personales Constitut. sunt privilegia, dicta quasi privatorum leges *c. 3. dist. 3.* & sunt jus singulare (*priva enim antiquis singula significabant, Gell. l. 10. N. A. cap. 20.*) uni aut certis personis ejusdem conditionis concessum. Et hæc non tam leges esse, quàm legum ex parte abrogationes *inquit Bernhardus Sutholt, Dissert. ad Inst. 1. §. 82.* qui tamen hisce verbis collimare videtur, *notante Dn. Schrötero Antecessore Jenensi celeberrimo in notis, ad veterem & antiquam privilegii significationem, de quã omninõ adeundus Corasius in l. 8. n. 2. & 3. de ll.* Hodie verò privilegium significare singularem legis vel Principis beneficiõ collatam alicui contra jus commune prærogativam, certum. Privilegium autem personam, quam concernit, non egreditur, neque ad exemplum trahitur, *§. 6. in f. Inst. de jure N. G. & C. Ernestus Cothman. in Instit. Imperial. hic. pag. 13.*

XXXV. Privilegia alia sunt personalia, alia realia, aut quod idem, quædam causæ, quædam personæ. Hæc non transeunt ad heredes, aut alios qui non sunt ejusdem status, *l. 196. ff. de R. I.* Exceptis quibusdam casibus, quos *notat Zasius, 2. responsor. 4.* Illa ad quosvis successores transeunt.

XXXVI. Quæ si obreptitiè sunt impetrata, nullum robur obtinent, *l. 2. l. 5. C. si contra jus, & c. l. 1. ff. de natalib. restit. idem dicendũ* contraria sunt utilitati publicæ, *l. ult. Cod. d. t. & l. 3. C. de precib. Imp. offerend.* item, si sine die & consule fuerunt data, *l. 4. Cod. de divers. rescript.* nec non, si contra unam tantum personam sunt concepta, qualia etiam Lex XII. Tabb. prohibuit, *Cic. 3. de LL. Donell. 1. Comment. 14. ibiq. Hilliger. lit. F.*

XXXVII. Sed hæc de Lege Regiã Romanorum & Effectu ejusdem dicta sufficiant. Dico de Lege Regiã Romanorum. Est namque & alia, quam rectè Legem Regiam Germanorum dixeris, scilicet Capitulatio Imperatoria, quæ non hujus est loci.
Ante

Anteverò quàm finem huic Exercitio imponamus, lubet annectere aliquot Quæstiones ad Legem Regiam Romanorum spectantes.

XXXVIII. I. *An Imperator totius mundi Dominus possit vocari?* Si unquam fuisset, non adeò repugnaremus, sed Affirmativam hodie tueri, esset hominis indocti.

XXXIX. II. *An per L. REGIAM sublatum sit jus Publicum Romanum?* Distinguendum inter abrogationem totalem & partialem; hanc non diffitemur.

XL. III. *Crimen lese MAJESTATIS an etiam in Populum Romanum fuerit commissum?* Affirmant Duarenus ad t. ff. de Const. Princ. c. 1. & Christophorus Besoldus 1. Polit. 2. §. 2. & seqq. qui communicatam inter populum & Principem Majestatem contendunt. Sed cum contrarium verius sit, nihil causæ subest, quare à Populo illud non removeamus.

XLI. IV. *Quia in Imperatores transit Majestas, quæritur: An legibus soluti sint?* A. cum distinctione.

XLII. V. *An Princeps teneatur pactis & conventionibus stare, quas cum subditis iniit?* A.

XLIII. VI. *An Princeps possit jus naturæ mutare?* Etiam si affirmantes refugium quarant distinguendo inter jus Naturæ primæum & secundarium, nihil tamen efficiunt.

XLIV. VII. *An soli Imperatori permissum leges condere & interpretari?* A. si de tempore antiquò concepta est quæstio; hodiè verò Imperatorem cum consensu Electorum & Statuum Imperii Leges universales condere, in apicò est.

XLV. VIII. *An Princeps ex plenitudine potestatis jus suum alicui auferre possit?* Extra casum necessitatis Negativa verissima.


XLVI. IX. *An privilegia tantùm in Monarchiâ inveniantur, an etiam in reliquis Rerum publicarum formis?* Et in liberâ Republ. populum sæpè eximere aliquem nexu legis, cum Sutholto Disp. ad Inst. 1. §. 82. sustinemus.

XLVII. X. De IMPERATORE quæritur: *An coronatio Pontificis EI necessaria?* Necessitas Coronationis Pontificalis & veritas Donationis Constantini pari passu ambulant.

XLVIII. XI. *At si non necessaria, cui bonò REGES RN. jurata promittunt, se coronam Imperialem accepturos?* R. Istam controversiam esse altioris indaginis, de quâ, volentibus DNNN. Oppositis, in conflictu.

GLoria sit DOMINO IesV Christo!







Altdorf, Diss., 1656/67

(x 261 3006)

V07





E
REGIA
TORUM

ONES,
M DEO,

I D E
REGEL, U. J. D.

tissimâ Universitate
cip. Norib. Consiliariô,
AC PROMOTORE
onorando,

im disqvifitioni
it
espondens

RGIVS Schmid/
berg.
Velferianô.

. Augusti
ata clò Ioc LX.

RFFI,
EN, Universitatis
phi

10.
13

1660

